

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**


**D. Gebh. Theodori Meieri Theologi & Prof. in Academia  
Julia Antichiliasmus Absolutissimus**

**Meier, Gebhard Theodor**

**Helmstadii, 1696**

**§. I.**

**urn:nbn:de:bsz:31-105465**



EXERCITATIO ACADEMICA  
DE  
CHILIASMO HODIERNO.

§. I.

**Q**UÆ suis Ephesiis Apostolis *Eph. IV, 14.* inculcat, ne omni vento doctrinæ circumagantur ac fluctuant, ac iisdem vere verbis repetit in Epist. ad *Hebr. c. XIII, 9.* illa hodiernis maxime temporibus probè observanda esse, præsens Ecclesiæ nostræ facies quemvis eam penitus inspicientem, abunde docebit. Si enim ulla fuit heterodoxia, quæ fideles à veræ fidei simplicitate, in varias errorum ambages potuit deducere, talis certe est, qui hodie in nostras irrepere cœpit Ecclesias, Chiliasmus. Hoc si infectus fueris, omnia fere Prophetarum vaticinia, ad regnum Chilasticum quasi obtorto collo trahes, & quicquid in Verbo Dei ad gaudia vitæ æternæ spectat, ad aureum illud mille annorum Seculum detorquebis, ac si præcipiuus Scripturarum scopus sit Chiliasmus. Ita autem à vero scopo Scripturæ S. deviantes quomodo poterunt non in infinitam innumerarum vanitatum sylvam incidere? Hanc ob causam non modo intot seetas subdivisus iterum est Chiliasmus, ut, quot capita, totidem hic quoque dari videantur sententiæ; sed etiam quælibet illarum in tot varietates sæpenumerato delabatur, ut pene quid statuat, in multis ignoret. Harum singulas sub examen jam quidem vocare,

A

non

non est mihi propositum, cum magni laboris, exigui vero usus, hoc esset. Sed exhibebo & expendam nunc tantum Chiliasmum sub illis circumstantiis, quibus eum circumscripsit Chiliastrarum Patronus, à quo hodie pleriq[ue] inter nostrates Chiliasmo faventes, dependent, ejusque sententiam amplectuntur. De hoc itaq[ue] Chiliasmo quid statuendum sit, tum demum apparet, quando illum analogiæ fidei ex apertis Scripturæ testimentiis deductæ, plane contradicere constiterit. Id quod præsenti opusculo me evidenter, præeuntibus Doctribus meis, ostensurum, ac simul, quæ pro errore suo in Animadversione, quam vocat, Programmati Summè Venerabilis Domini mei Præceptoris, oppositâ dictus Chiliastrarum Hyperaspistes produxit, ex Verbo Dei diluturum, confido. Quod dum aggredior, Te, Sanctissime Deus ac Pater Benignissime, supplex invoco, ut calatum meum in viâ veritatis ita velis dirigere, ne ulla ratione ab illis quæ in Verbo Tuo doceatur, exorbitet aut à fide super illud fundatâ vel minimâ in parte deflectat.

§.II. Ut igitur pateat Chiliasmum, qualem Author Animadversionis jam dictæ credit, fidei contradicere, distinctis aphorismis proponendus erit nexus fidei nostræ, quatenus ille præcipue ad res novissimas spectat, ut deinde ad istum exigi possit dogma illud Chiliaisticum. Assertio ergo prima hæc esto: Scriptura duplēcē tantum novit Christi manifestationem (voce manifestationis pro visibili apparitione in terris sumptâ) unam ad profligationem peccati, Hebr. ix. 26. alteram cum in secundo suo adventu absque peccato conspicetur illis qui ipsum expectant ad salutem. v. 28. Thesis hæc in Pro-

gram-